

Quartum per illas particulas *primo* & *per se* excluduntur secundæ qualitates à Definitione naturæ, cuiusmodi est leuitas, & grauitas, nam licet grauitas sit causa motûs deorsum, non tamen grauitas est natura, quia non est *primo* causa motûs deorsum, sed solum secundò.

Quintum. Per particulas *per se* & *non per accidens* excluditur motus artificialis, qui certè non est à natura, sed ab arte, sic motus horologii, non est per se, sed per accidens; diciturque motus artificialis, & non naturalis; saltatio autem, cantatio, & huiusmodi, prout dicuntur fieri ab arte, non sunt proprii motus, sed modificationes motuum; allata verò naturæ definitio non conuenit modificationibus motuum, sed motibus naturalibus.

Certum est *quartò* res naturales ab artificialibus in aliquibus differre, & in aliquibus conuenire. Diconueniunt quidem, natura & ars, *primo*, quia principia naturæ ipsi conueniunt ab intrinseco, vnde res ex natura sua denominatur talis ab intrinseco, sic lignum denominatur lignum ab intrinseco, at res artificialis sic denominatur ab extrinseco; lignum enim dicitur habere formam alicuius statux, sed ab extrinseco. *Secundò* res artificiales conueniunt solum cum suo efficiente secundum *Idæam*, non verò secundum esse: sed res naturales conueniunt cum suo efficiente secundum esse: sic cathedra est similis quidem cum *Idæa*, quàm habet de ipsa faciendi artifex, homo verò ab homine genitus est similis secundum esse.

Tertio. Principia rei naturalis sunt à natura; at principia artis sunt ab arte.

Quartò. Res artificiales sunt contingentes, res autem naturales sunt necessariae.

Quintò. Res naturales sunt subiectum artis, sed res artificiales non sunt subiectum rerum naturalium.

Sextò. Res artificiales sunt superficie remis, at res naturales sunt ab intrinseco, & intimè rem penetrant. Denique res naturales habent ab intrinseco principium motûs *primo* & *per se*; atqui res artificiales habent principium motûs, sed extrinsecum, & non per se, sed per accidens, vt patet in horologio.

Conueniunt tamen in aliquibus ars & natura: *primo* sicut natura producit sibi simile secundum esse, ita ars producit simile secundum *Idæam*, seu representationem; *Secundò* sicut ars imitatur naturam, ita natura imitatur Deum. *Tertio* tam ars quàm natura incipere solent ab imperfectioribus; sic planta acquirit paulatim sui perfectionem, item & pictura. *Quartò* tam in artificialibus, quàm in naturalibus reperiuntur casus & fortuna; de naturalibus est manifestum, nam in naturalibus dantur monstra. Item in artificialibus reperitur casus, exemplum sit illud, quod dicitur de Apelle, qui eum perfectissimè equi spumam in tabella non posset exprimerè, tædio affectus spongiam, aut penicillum in tabellam proiecit, casusque factum est, vt perfectissima equi spuma inde exprimeretur: hoc prouenit non ex industria Apellis, licet præstantissimi pictoris, sed hoc casu factum est.

Certum *sextò* Naturam esse simpliciter arte perfectiorem; quia natura est fundamentum

artis, & nihil potest ars efficere sine natura, atqui ars non est fundamentum naturæ, plurimæque potest efficere natura sine arte: deinde dicitur communiter opus naturæ esse opus intelligentiæ, quod non dicitur de arte: non nego tamen, quin ars perficiat naturam ab extrinseco, & secundum quid.

His tanquam certis, & communiter receptis duo principaliter hic in controuersiam reuocari solent: *Primum* quibusnam competat definitio naturæ? Alterum an ars possit efficere opera naturæ? Circa *primum* de his dubitari potest an participent definitionem naturæ, videlicet an materia dicatur natura, an forma materialis, an anima rationalis, an priuatio, an compositum? *Valesius controu: ij ad tyrones* negat materiam esse naturam; *Scotistæ* post *Scotum* in 2. *diff. 8. quest. vnicæ* volunt quidem formam esse naturam, non tamen ratione sui motûs actiui, sed sui motûs passiuui, ita vt dum definitur natura principium motus, debeat intelligi solum de principio passiuo motûs: *Simplicius 2. Phys. & Albertus magnus 1. Phys. tract. 1. cap. 2. quæst. vni* admittant formam materialem esse naturam, negant tamen hoc de anima rationali, de priuatione nemo est, qui velit eam, proprie loquendo, esse naturam: *Compositum verò esse naturam tenet de Basolis in 2. *scot. diff. 12. quest. 2. art. 2.* Idem etiam dicere videtur *Faentinus theorem 33. Phys. cap. 4.**

Verum quia hæc materia modici est momenti, & plusquam sufficienter examinata à Collegio Complutensi *disp. 7. Phys. per 8. quæstiones*, & à *Faentino citato theor.* Ideò paucis veritatem proponemus, sicut & circa *secundum* quæsitum de effectione artis in ordine ad opera naturæ.

DECISIO.

Resolutio prima. Proprie loquendo his conuenit definitio naturæ, nimirum materia, & forma substantiali, tum materiali, tum spiritali, hoc est anima rationali: Imò potest dici conuenire composito.

Quod ergo materia sit natura probatur contra *Valesium primo* ex Aristotele dicente naturam diuidi in eam, quæ est subiectum, & in eam quæ non est subiectum: Per, *in eam, quæ est subiectum*, nihil aliud potest intelligi quàm materia prima, quæ ordinariè vocatur *subiectum* ab Arist. *secundò* Natura est principium motûs & quietis &c. sed materia est huiusmodi, nam est principium mutationum, vt omnes fatentur: sed duplicem oportet distinguere motum, seu principium motûs, aliud enim est principium motûs actiuum, & aliud passiuum; principium motûs actiuum est illud, quod causat efficienter motum; at principium motûs passiuum, quod est principium receptiuum motûs, diciturque potest principium *quo*, seu *subiectum*; ergo cum materia sit huiusmodi passiuum principium, participabit definitionem naturæ.

De forma verò negat nemo, tantummodò variant in probatione; *Scotistæ* enim inde probant formam naturam esse, quia est principium motûs passiuum; at alij quia forma est prin-

Res naturales ab artificialibus in aliquibus differunt & conueniunt cum eis.

Quænam hic controuersantur.

Num. 11. Ostenditur quod & materia & forma proprie & compositæ naturæ.

Natura est perfectior arte.